



B. 25.

ORATIO INAVGVRALIS  
QVAM  
CVM SINGVLARI FAVORE AC CLEMENTIA DEI  
NOVA CVRIA  
MERSEBVRGENSIS

D. OCTOBR. MDCCXX. INITIARETVR

ET  
IN EA

I V S S V

REVERENDISSIMI AC SERENISSIMI  
PRINCIPIS NOSTRI

AB

EXCELLENTISSIMIS DOMINIS  
COMMISSARIIS  
NOVVS SENATVS  
AD REGIMINA SVA

PRIMVM PRODV CERETVR INQVE STATIONIBVS SVIS CONFIRMARETVR

HVIVS VRBIS

SENATVI VNIVERSO PROVIDENTISSIMO

AC

CVNCTIS CIVIBVS DILECTISSIMIS

OFFICIOSE ET DECENTER

EXHIBEBAT, OFFEREBAT, DEDICABAT

ERNESTVS WILHELMVS HERZOG  
PRÆTOR MERSEBVRGENSIS ET SAC. PAL. CÆS. COMES

---

HALAE MAGDEB.

Litteris STEPHANI ORBANI, Acad. Typogr.



ORATIO IN AVEGVALIS  
QVAM  
CVM SINGVLA FAVORIS AC CLEMENTIA DEI  
NOVA CVRIA  
MERSERVARGENSIS  
D. OCTOBR. MDCCXX. INIANTIVR  
IN EA  
I. V. S. V.  
REVERENDISSIMI AC SERENISSIMI  
PRINCIPIS NOSTRI  
AB  
EXCELLENTISSIMIS DOMINIS  
COMMISSARIIS  
NOVIS SEINAVIS  
AD REGINAM SVA  
PRIMUM PRODUCERETVR PROVE STATIONIBVS CONIRMARETVR  
HVIS VERBIS  
SENATV UNIVERSO PROVIDENTISSIMO  
AC  
CUNCTIS CIVIBVS DILECTISSIMIS  
OFFICIORE ET DECETVR  
EXIMIA OFFICINA DEBICAT  
BRISTAVS WILHELMVS HERZOG  
TRACTOR MERSERVARGENSIS ET SAC. PAL. CES. COMES

MADEA  
LITHO. STEPHANI ORBANI, ACAD. TYPOG.





T tandem singulari Dei T.O.M. provisione atque auxilio factum est, ut illuxerit ille amœnissimus dies, in quo Merseburgum novam suam curiam oculis perlustrare ac votis decentibus ejusdem initialia celebrare possit; quæ ut instauraretur & exædificaretur, non vis hostium immifericos, non furor ignis vorax effecit, sed quam autoritas Principis excellens, ductus Senatus providus, & applausus civium egregius, in ornamentum ac emolumentum civitatis, in novum & aptiorem locum transferri & exædificari concessit, curavit, exoptavit.

Magnas urbes celebratissimis ædificiis & splenduisse olim, hodieque iisdem ornatas esse, in propatulo est. Etenim hoc attestantur non solum stupenda rudera diu sepultarum urbium, sed & splendores in hunc usque diem florentium civitatum sufficientia testimonia de rei veritate exhibent. Quæsi volupe est, antiqua rimari, perlustret augustissima rudera Persopolitana; a) perfrutetur Africam terram; adspiciat in ea famosissimam urbem Chædreanech, quæ & Carthago dicitur; b) adspiciat sumtuosissima in superiori Ægypto Niloticarum destructarum urbium palatia, de quibus miranda enarrant Scriptores; c) intueatur urbem Constantini M. ad Pæspororum Thraciam sitam; quid? quod in examen ducat illam gentem dominam, Romam admirandam. Et qui hodiernas splendidissimas urbes oculis perlustrare sataget, confiteri necessum habebit, <sup>artem plures in iis ordinandis ac ornandis naturam vincere laborasse.</sup> Quas urbium elegantias unicuique Sinarum imperium non monstrat? Quid mirandi reliqua Asia non in hoc genere profert? Europæas vero oppidorum Deas & ad invidiam usque extructarum urbium regiones in præsentiarum attingere qui vellet, illud esset, in altum mare sese immittere. Qui solam civitatem Amstelodamensem incomparabilem, & in ea Curiam pretiosissimam, quæ exsuperantissimam in ædificando ac summo opere stupendam summam constitit, d) intuebitur, confiteri necessum habebit, ob magnificentiam ædis ad miraculum usque perfectæ præ stupore hæsitare linguam, nec mentem hominis in hoc elegantissimo opere quicquam eloqui habere, nec, quo potissimum oculis convertat, suppetere. Quæ nunc cum ita sint, est, ut & hoc orationis nostræ inferatur, in condendis ædificiis publicis hunc morem laudabilem penes gentes moratioris invaluisse, ut ædificiorum, præsertim publicorum,

A 2

a) Kempteri Amœniti. Exot. fasc. 2. p. 297. seqq.

b) Taubm. ad Plauti Præsulum p. 1098.

c) vid. in primis Paulus Lucas in seiner allerneuesten Reise nach der Levante p. I. p. 65. seqq.

d) vid. Bentheims Holländischen Kirchen- und Schul- Staats p. 54.

rum, noviter extruendorum fundamentis, quidam nummi in rei memoriam infererentur. Accedit, quod & hæc confuetudo apud laudatissimos populos & olim vigerit, & adhuc constanter vigeat, ut ejusmodi publicis ædibus in monumentum rei tituli ac inscriptiones addi soleant, prout hoc, in quantum ad antiquiora ædificia attinet, egregia Inscriptionum opera Virorum doctissimorum, Gruteri & Reinesii, abunde attestantur. Ad recentiora ædium opera quod spectat, supra memorata nova Curia Amstelodamensis, ad miraculum usque hodieque excellens & splendida, pro exemplo sit. Ei enim insequens inscriptio, in nigro marmore exsculpta & aureis litteris exornata, ante quatuordecim lustra, cum tunc temporis extrueretur, adjuncta fuit: *IV. Cal. Nov. CIO IOC XLVIII. quo compositum est bellum, quod federati inf. Germ. populi cum tribus Philippa potentissimis Hispaniarum regibus terra marique per omnes fere orbis oras ultra octoginta annos fortiter gesserunt, asserta patriæ libertate & religione, auspiciis Coll. pacificatorum optimorum Gerb. Pancras, Jac. de Graef, Sib. Valkenier, Pet. Schaep Consulum filii & agnati, jacto primo fundamenti lapide, hanc curiam fundarunt.* e) Verum enim vero, quamlibet me haudquaquam fugiat, nostram civitatem & nostram curiam novam cum hac urbe ac ædificiis in ea contentis, regia magnificentia & ornatu ineffabili extructis, haudquaquam esse comparandam; attamen nemo cordatorum mihi vitio vertet, si & ego hac die, qua nostra urbs per Dei gratiam novam curiam suam oculis collustrare potest, & in qua Senatus in novam suam sedem ac senaculum immigrat, novusque Senatus in ea primum per Illustres & excellentissimos Delegatos civibus representatus confirmatur, hunc sermonem inauguralem ac inscriptionem votivam, ceu testem grati & devincti animi erga patriam caram, Senatui colendum & cives dilectissimos, loco nummi memorialis exhibuero.

Non est, quod inficias eatur, eos mortales, qui perverfi sunt ingenii & queis peccare est volupe, curias ac prætoria ægris limisque intueri oculis, cum non ignorent, per ea facinoribus suis obicem fortissimum poni. Attamen si dicendum, quod rei veritas & caput est, haud quaquam erit diffitendum, hæc ædificia esse utiliora, quam inofficiosas Pyramidum Ægyptiacarum moles; quam obeliscum Ramisis Regis immensum, de quo Pancirolius dicit: Plus laboris fuisse in erigendo eo, quam in fabricando; quid? quod majorem utilitatem præbere, quam stupendum labyrinthum in Insula Meroes, de quo Herodotus, Mela, Plinius admirandas relationes præferunt, & cujus statum hodiernum eruditus Scriptor inter Gallos, Paulus Lucas, in recentioris ævi admiranda nem exponit. In quantum igitur perverfi ac dure frontis hominibus talia iusticia sacra ædificia horrore sunt, in tantum solatii & gaudii ex iis illi percipiunt, queis ex meliori luto finxit præcordia Titan, qui que optime de commodis ex hujuscemodi Iarariis provenire solitis memores, probitatem, integritatem & cultum morum rectorum, ut Deas auspiciatissimas venerantur. Hinc factum, ut supra dictæ curiæ, quæ Amstelodami viget, (liceat mihi hanc urbium Deam venerandam & hoc Curie splendidissimum ædificium denuo repetere, mihi que ab hac illustrissima & florentissima gente illustre quoddam exemplum orationis meæ sumere) inter alia ornamenta ædis & hæ elegantissimæ statuæ fuerint impositæ, nimirum statuæ PRUDENTIÆ, PACIS, JUSTITIÆ, ROBORIS VEL FORTITVDINIS & ABUNDANTIÆ. f) Hæc Symbola singula si sumus examinaturi, est, quod inveniamus, Curias, Prætoria, Præfectu-

e) vid. Les Delices de la Hollande Tom. 1. p. 101.

f) vid. Beschryvinge der vyfdeveemaarde Koopstadt Amstelredam pag. 107. & delices de Paisbas Tom. 2. p. 235.

fecturas, aliaque majora tribunalia esse ea loca, ex quibus invidenda felicitatum agmina in urbes ingruere soleant; esse eos fontes, ex quibus rivi commodorum innumeri in sinum rerumpublicarum derivari queant. PRUDENTIA enim mature providet, quid Reipublicæ salutare, quid nocivum sit, quid amplectendum, quid fugiendum. Uti enim organædus non imperitus tempeſtively observat, quo tonus inclinet, utrum extra ambitum suum vagari, an vero intra limites suos sese continere gestiat; an passus cantus sit tolerandus vel rejiciendus; ita & Prudentia, rerum magistra, in organo Reipublicæ vastissimo procedit. Hinc in tempore observat, quæ consilia sint capienda, quidve publicam rem conservet, e contrario illud, quod eandem convassare vel titubantem reddere possit, ceu virus præsentissimum fugit. Humanum corpus si egrotare & febrî invadi incipit, id pulsu sanguinis in venis trepidante proditur. Et si corpus Reipublicæ morbidum esse inchoat, hoc extemplo prudentiæ oculus ex hujus civis corporis inquieto & inordinato sanguinis motu, nimirum ex defectu succi nutritii, qui ex nervo rei familiaris constat, ex mutuis collisionibus ac disensionibus civium, ex nimio apparatu domestico, luxum & prodigalitatem moliente, & similibus venenis, quæ ut febres pestilentissimæ in publicam rem grassari, quid? quod ut sicarii summopere detestandi eam maxima internectione penitus delere valent, animadvertere poterit. Et hæc fuit illa natix ac venenosissima cæcula serpens, quam si mature Roma, magna illa gentium mater, discordiis, obreccionibus, invidiis aliisque enecantibus malis involuta, irrepentem animadvertisset, animadvertam perſecuta eſſet, & tandem hanc infestissimam ac truculentissimam bestiam, (quam equidem virorū Romanorum cordatorum quidam magis magisque incrementem, in altū exſurgentem, imo plane ſaginatam viderent, paverent, hinc ejus occisionem citatissimam suaderent, queis clarissimis viris vero haudquaquam obsecundatum fuit, siquidem malum tantum virus viresque capeſſerat, ut ei nullo remedio ulterius succurri eſſet potis) ex sinu Urbis suæ fuitque Imperii eiecisset ac crucidasset; credite, nunquam fuisset futurum, ut ea Respublica clarissima in id incidisset infortunii, quo jactura aureæ libertatis, inestimabilis & nullo pretio redimendæ rei, in servitutem acerbissimam durissimamque redacta & detrusa, postea inter dominantes varia monstra dominantium execranda perferre ac alere fuisset coacta. Sed res non aliter evenire poterat, nam lubido peccandi interventu gravis poenæ impræſentiarum pensabatur. Uti enim prudenter cordatissimus annalium Conditor, Cornelius Tacitus l. i. Ann. c. 9. memoriæ prodidit: *Discordantis reipublicæ non aliud remedium fuisse, quam ut ab uno regatur*; Et Florus, rerum Romanarum Scriptor floridissimus, de Augusto Cæsare dixit: *Sapientia sua atque solertia percussus undique & perturbatum ordinasse Imperii corpus, quod ita haud dubie nunquam coire & consentire potuisset, nisi unius Præſidis nux quasi anima & mente regeretur*; Imo docente Dione de Romanis: *ἡ μοναρχία δὸς ἄριστος μὲν ἀνθρώποις, χροσιμώτατος δὲ ἡμπολιτευόμενος, ἰ. e. monarchia quidem erat difficile; penes unum tamen esse vim principatus conducibile omnium fuit*; hinc non mirandum, quod tanta tamque gravia mala civibus Romanis, quibus, teste Xiphilino in vita Augusti, pax & concordia, ut tum res erant, diu non poterat infidere, non debuerint non contingere. Reipublicæ igitur laboranti ut mature succurratur, ut damnosa & putrida recidantur, ut mala & venenosa fruticeta radicitus evellantur, imo ut hydra illa lernæa, grege victiorum ac omnis pestis stipata, lethifero ictu enecetur, hoc sane est opus operosissimi & sapius fastidiosissimi laboris. Quid? quod & contingat, ut livor magistratuum comes & affecla esse soleat, ut Curis ac ejusmodi

B

facra-

facratis urbium larii ab hominibus malæ mentis & pessime feriatis non parcat, sed omnis pudor omnisque reverentia erga ea eorumque antistites exuatur, prout id audaciæ ab iis fuitum est, qui in Julium illum magnum, o quantum ac plane divinum Virum! qui erat Romane urbis ac universi orbis unicum præsidium, consilia pestilentissima inierit; ex quo factum, ut misso omni loci honore, qui refrenare conjuratos debuisset, in Curia Pompeji hunc admirandum Virum, quique rem Romanam iustis consiliis ac ordinationibus in decentissimum ordinem, si vita ipsi contigisset, fuisset redacturus, trucidaverint. Accedunt & tædiosisimi labores, multis odiis ac infectionibus conditi, qui magistratum personis in talibus functionibus obvenire consueverunt. Quamobrem mirandum haud est, si plures ejusmodi officia subire tergiverentur, ingentique fastidio ea averterentur; ut potius cum Hadriano Valesio, prout in Valesianis recensetur, ex Martiale dicant:

Nunquam divitias Deum rogavi

Contentus modicis meoque lætus,

aut cum illo possessore horti, Faventiæ in Italia siti, amœniorem vitam quærant. Is enim huic horto, suo delicio, inscripserat: *Satis dives, qui non indiget pane. Satis potens, qui non cogitat servire. Civiles curæ procul hinc abite. Sebas. Cost. solitarius, se ipso contentus, bos securus incolit hortulos. Pauper an dives, si cordatus es, cogita.* Verum enim vero, magistratus & qui ad hæc necessitates urbium ac regionum iussu Dei & hominum vocatur, partim cogitent illud essatum prudentissimi Electoris Saxonie, Friderici, qui ministro cuidam suo fideli, missionem ex statione sua petenti, ita respondisse fertur: *Te, quaeso, non fugit, gubernationem gentis rem esse difficultissimi momenti. Quamlibet igitur ætas tua ingravescens ab officiorum administratione te in præsentiarum facillime liberare possit; nihilominus onus tuæ humeris impositum in exemplum mei gravi constantia sustinere debes. Si enim uterque nostrum laborum perit esse, quis, obsecro, esset, qui labori obviam iret? Nam si ii laborum onera ferre avertantur, quæ iis ferendis datum est ob ingenii vires; credas, demum haud aliter fieri posse, quam ut illi, qui rerum gerendarum usu excluduntur & incapaces sunt, in magnum publicæ rei detrimentum sufficiantur; partim etiam secum reputent oporteat, invidiam & livorem marcescere & semper pauperem esse; Deum ipsis hæc onera, quæ subire necessum habent, fecisse; Dominum provisorum esse; Deum Triunum Optimum Maximum aggressores Magistratum gravissime punire, & in eos ac reliquam impiorum cohortem vehementissime animadvertere, ut in damnum eorundem maximum ipsorum excæcentur mentes, ut nesciant, quid agant, ut in fine suarum actionum vituperia reportent, prout seclerato contemptori hominum ac omnis virtutis extirpatori, impio Neroni, opibus Didonis Fenilæ, Tyro profugæ inhiant, contigit, cui ideo jure meritoque fortuna per vanitatem ipsius illuserat, de quo eloquentissimus Tacitus l. 16. c. 1. consuli potest. Ideoque perfectæ & constantis virtutis animus hic induatur atque sumat hinc ex adversis atque difficultatibus, adiutorio Numinis Divini exsuperandis, sua maxima robora virtus. Quid nunc putatis, optimi Cives, quale bonum ex hac prudenti rerum provisione non provenire non possit, & quem dulcissimum fructum hoc bonum summo opere egregium producat. Audite qualis sit. Statua PACIS AC CONCORDIÆ tanquam novum commodum Regiminum sese nunc representat ac præsto est. Docta atque excellentissima gens Batavorum hanc statuum non immerito ornamentis Curie suæ adjunxit. Siquidem hujus laudatissimæ gentis excellentissimi Proceres facillime conjectare poterunt,*

ex



ex regimine bene instructo nil aliud sperandum esse, quam pacem inter Deum & homines, quam pacem inter cives erga cives & peregrinos, quam pacem civium & peregrinorum erga Magistratus, qui provisos ac curatores urbium sunt. Hi statores gentis suæ ac felicissimi sui status optime novere, pacem alere litteratos, mercatores, œconomos & reliquum genus humanum; e contrario discordias & lites disipare uti animos ita & bona. Nam concordia res parvæ crescunt, discordia maximæ dilabuntur. Pax & concordia est ille incomparabilis & admirandus magnetismus gentium, quo imperantibus sua reverentia exhibetur, & quo superiores inferiores ac sibi commissos filii amore prosequuntur. Et quemadmodum sagax natio Hispanica dicit: nunca vi tan mala paz, que no fuesse mejor, que la mejor guerra, h. e. nulla pax tam macilenta est, quæ non sit melior, quam opimius bellum; g) ac quod

*Optimus hic scopus est, multâ prodesse, nocere  
Nemini, amare bonos & tolerare malos;*

ita quovis modo pax in republica ac vita humana est quærenda; colenda; ac observanda; e contrario lites summopere vitandæ ac sopiendæ, siquidem hæ cordatos ac honestos viros in rebus suis œconomicis bene institutis ac aliis negotiis eodem modo percellunt & perturbant, ac horologium bene elaboratum ac instructum pulvere & squalore, qui in rotas incidit, seque iis sensim infinuat, cursu suo impeditur. Ex pace tandem fluit ille amœnissimus amnis Justitiæ, siquidem inter bella ac bellicos strepitus squalent fora, silent leges, & ita divinum palladium Justitiæ jacer prostratum. Hinc nunc apparet illa aurea Dea in Statua representata, nimirum JUSTITIÆ simulacrum. Romanorum populus prudentissimus in usu habuit, ut in medio fororum suorum templa conderet; h) unde factum, ut Augustus foro suo ædem Martis Ultoris adjunxerit. i) Cum igitur, carissima civitas, Curiam tuam novam in medio fori habeas, meminisse debes, illam esse Justitiæ ac polities templum. Hæ ædes, in quas nunc facta instauratione justa & apta, Curia nova collocata fuit, commerciis, in quibus mensura observanda erat, destinata olim fuere, erunt imposterum juris & justitiæ sedes, in quibus modus ac mensura juris, justitiæ ac æquitatis observabitur. Fatendum quidem est, arduum esse opus, justitiam hac in parte ita in numerato, & *ἄνδρα μὴ* juris ita temperatam habere, ne nimia justitia fiat injustitia, sed ut secundum mandatum Dei misericordia & jus observetur. (Hof. 12. v. 7.) Prout enim Tullius in libris Officiorum: Summum jus, summam injuriam esse, & Columella: jus summum antiquos summam putasse esse crucem, dicit; hinc difficultatem rei clare perspicere possumus. Cum enim statera justitiæ in examine ac libramento stare debeat, evenire facillime poterit, ut mox in defectu, mox in auctione seu excessu ejusdem bilanx inæqualis reddatur. Et hoc fit ex eo, quod, in quantum ad judicantes attinet, fragilis sit hominum natura, adeo, ut mentes mortalium non quævis perspicere possint. Penes judicandos vero itidem variæ difficultates sese produnt ac exerunt. Abstrusissimæ enim circumstantiæ quandoque sunt observandæ, dijudicandæ, quas tamen e contrario sitigantes nonnunquam aut parum, aut tantum e longinquo monstrant. Hinc hic latet illa hystrix, cujus tactu facillime manus lacerare poteris. Nihilominus Deus in augustissimo die novissimo rationem a judicantibus exiget, quomodo judicaverint, & quomodo jus cum æquitate miscuerint ac temperaverint, quomodo lex fuerit observata, & quomodo nimius ri-

B 2

gor

g) James Hovvel. Familiar lettres p. 159, 208.

h) Lips. 4, magnitud. Romana p. 142.

i) Torrent, ad Sueton. Ang. p. 158.

gor juris, qui horridus ac hispidus est, fuerit evitatus, imo & qua ratione omnes affectus erga judicandos fuerint sepositi. Hæc si consideramus, mirandum haud est, variis curiis memoriales versus ac *γῶναι*, lectu & observatione dignissimas, inscriptas fuisse. Inde Francofurti ad Viadrum in Curia prætorio insculptum est: *Judicabit judices judex generalis, ibi nihil proderit dignitas papalis, sive sit Episcopus sive Cardinalis, Reus condemnabitur, sit hic qualis qualis. Ibi nihil proderit multa allegare, & nihil excipere neque exquirere, neque ad Apostolicam sedem appellare, Reus condemnabitur, nemo dicit quare? Quo nec locus Codici erit, nec Digestis, idem erit Dominus Judex, Agor, Testis.* In curia Nordhufana hæc literæ visuntur:

*Parcere prostratâ scit nobilâ ira leonum:  
Hoc imitare etiam, quisquæ in orbe regû.*

Ratisbonæ in Curia in marmorea tabula hæc memoranda verba aureis litteris inscripta reperiuntur: *Quisquis Senator Curiam officii causa ingrederis, ante hoc ostium privatos affectus omnes abjicito, iram, vim, odium, amicitiam, adulationem: Reipublice personam & curam subijcito, nam ut alius æquus aut iniquus fueris; ita quoque Dei judicium expectabis & sustinebis.*

Delphis in Belgio, Lipsiæ ut & Jauriæ in Silesia in Curiiis notabiles hi versus observantur:

*Hic locus odit, amat, punit, conservat, honorat,  
Nequitiam, pacem, crimina, jura, probos. k)*

Et sane aliter haud fieri potest, quam ut ejusmodi loca sancta *nequitiam odisse*, pacem amare, crimina punire, jura conservare & probos honorare debeant. Nam falsitas & injustitia est tanquam hyæna, quæ sermonem humanum inter pastorum stabula mentitur, nomenque alicujus addiscit, quem noctu vocatum laceret. Homines enim improbi album colorem integritatis induunt, ut albi & innocui videantur, & assimulant effigiem mali Dæmonis, qui in Aethiopia albus pingitur. l) Hæc loca *amant & Pacem*, cum observantia legum sit pax perpetua & tranquillissimi rerum status exoptatissima nutritrix. *Crimina* hæc loca *puniunt* ac detestantur, & quo minus tenebræ solem perferre possunt, ita sacratæ hæc ædes consortium vitiorum haudquaquam sustinere queunt. Hinc fit, ut pudori sua ratio ac decus constet, ut cultu disciplinæ decente quisvis securissime in urbibus ac domibus vivere queat. *Conservant* hæc loca etiam *jura*, ne effrenata licentia, omnium malorum fons, in rapidissimum flumen erumpere queat; ne consuetudines irracionales irrepant, ne claustra pudoris effringantur, ne vis iuribus fiat, & ne solum justitiæ evertatur. Quisvis eruditorum confitebitur, miserandum Romanum statum tempore Iulii Cæsaris & adhuc viri juvenis Octavii, qui postea Augustus dictus fuit, extitisse, in tantum, ut hujus Octavii centurio, Cornelius, in curia consultum pro duce suo, Octavio, flagitans, erga cunctantem Senatam rejecto sagulo, gladii ostendens capulum, non dubitaverit dicere: *Hic faciet, si vos non feceritis. m)* Nimirum tunc temporis libertas universa cum legibus popularibus pessum ibat. Respublica enim erat deperditissima & status publicæ rei erat factus corruptissimus. Hoc quidem verum est, ætate Iulii penes Pompejum illum Magnum magnam justitiam, secundum opinionem plebis, stitisse. Verum enim vero cum hæc justitia imaginaria multas injustitias, uti non aliter in statu corrupto fieri poterat, e. c. injustis exactionibus socios premendo, luxum & superbiam inter cives alendo, rapinasque civium gravissimas ex Romano orbe non exterminando, commi-

sisset;

k) Berkenm Antiqu. Europ. p. 220, 384, 478, 570, 578.

l) Ludolf. Hist. Æth. l. 1. c. 14, n. 35.

m) Suet. Aug. c. 26.

-fisset; quo de malo Marcus Tullius in Oratione pro Lege Manilia graviter  
 queritur, dum dicit: *ejusmodi in provinciâ homines misimus, ut etiam si ab  
 hoste defendant, tamen ipsorum adventus in urbes sociorum non multum ab ho-  
 stili expugnatione differant, & Cajus Gracchus cum Gellium in noctibus  
 Atticis: Quiritis, inquit, cum Roma profectus zonas, quas plenas argenti extuli,  
 eas ex provincia inanes retuli: Alii vini amphoras, quas plenas tulerunt, eas  
 argento plenas domum reportaverunt; fieri haud aliter poterat, quam ut hæc  
 justitia falsa ac fusco colore induta, injustitia, ut morosus Cato & alii sui si-  
 miles eam esse, clamabant, justissimi Iulii Cæsaris, fortissimi illius & pervi-  
 cacissimi Viri, puniretur, siquidem hic vir *decurio*, qui ex sententia Cato-  
 niana, teste Tranquillo in vita hujus Herois, Iulii, sobrius unus omnium ad  
 evertendam Rempublicam accesserat, eas altercationes, eas injustitias ac  
 oppressiones, quæ a civibus in cives & socios committebantur, perfecte  
 sciebat, indies perspiciebat, & in utilitatem suam ad intentandos in Rem-  
 publicam incorrigibilem impetus, quoque securius ac fortius suo tempore  
 faceros movere posset suos, observabat. Hinc committebat Cæsar hanc  
 inevitabilem, & necessariam, ut sic dicam, injustitiam, si ita hocce fatum di-  
 cendum est, quod regiones ac imperia propter improbitates & injustitias  
 commissa premit ac eorum poenam urget; ut gentis suæ supprimeret li-  
 bertatem & statum publicum mutaret; hocque ideo salutariter faciebat,  
 quo justitia i. e. emendatio morum, politias ac legum per proventum ac  
 introductionem monarchias progerminaret, & nitor pristinus imo augus-  
 tior Reipublicæ restitueretur. Tandem hæc & similes domus justitiam  
*honorant honor.* Siquidem boni & integri viri ad talia delubra suam  
 habent perfugium, suntque innocentia ayla, ex quibus calumniato-  
 res repelluntur. Quod & Julianus Imperator, qui & Apostata dicitur,  
 bene agnovit. Cum enim Delphidius orator, documentorum inopia, a-  
 pud huncce Imperatorem exclamasset: *Ecquis, Cæsar, nocens esse poterit  
 usquam, si negare suffecerit? Julianus respondit: Ecquis innocens esse  
 poterit, si accusasse sufficiat.* n) Hic honor honorum etiam in legibus  
 Atticorum observabatur. Teste enim Xenophonte: *οἱ βασιλικοὶ νόμοι, ἃ μόνον  
 οἱ ἄλλοι τὸς ἀδικήτας, ἀλλὰ καὶ ἀρεστοὶ τὸς δικαίους, i. e. Regia leges non  
 injustos tantum puniunt, sed & justis afferunt emolumentum.* o) Et ex hoc  
 principio fluit, cordatos ac rectæ mentis viros in republica non esse con-  
 temnendos, vel limis oculis ac gravi supercilio a superioribus intuendos.  
 Morosum animal homo esse solet, arte & ex meritis vult tractari; quod si  
 non feceris, contentus eris & sæpiusculum quam plurimum damni inde  
 senties. Hoc optime novit Albertus, Archidux Austriae, qui globo fide-  
 reo emblematis loco utebatur, addita hac inscriptione: *ni adipicir, non ad-  
 spicir.* p) Quo exprimeret sapientissimus princeps voluit, ni superior  
 esset erga inferiores mitis & comis, ni eos adspiceret clementi vultu eosque  
 tractaret patienter; moderate ac humaniter, fore, ut rursus non adipi-  
 ceretur, & tantum abesse, ut subiecti eum amore sint prosecuturi, ut  
 potius parum æstimii erga se ab iis sit reportaturus. Succedit  
 nunc ea statua seu colossus potius, quæ **ROBUR SEU ROBU-  
 STISSIMAM FORTITUDINEM** præfigurat. Credite, cives dilectissimi,  
 in ea republica, ubi floret justitia, ibi procedit gigas fortitudinis invictissimi-  
 mæ, roburque felicitatis invidendæ, atque Atlas ille omnium bonorum  
 strenuissimus, qui humeris suis universam rempublicam sustentans, vastitate  
 virium suarum efficit; quo minus quiddam detrimenti res communis  
 sentiat. Hic floret juvenus, & miles non ingratis suis militiam pro civibus  
 suis sequitur; hic florent viri & senes; hic decretum naturalis politicae,  
 ut*

C

n) Persiner. in not. pol. ad Tacit. p. 290.  
 o) Meurl. in Them. Attic. p. 149.  
 p) Baro Valvasor in der Ehre des Hertzogthums Crayn I, Theil in der Vorrede ad Isidorem.



ut sic loquar cum eruditissimo Boeclero. q) nimirum affectus in rempublicam ejusque statum & fides observatur. Hic Atlas robore suo vegetissimo quatit hostes & haud quasquam concedit, ut fallaciæ adversariorum quiddam aduersi publicæ rei intentare possint. Statuarum ultima, quam in hoc Orationis apparatu pro temporis penuria producere fuit animus, nunc succedit. Illa est ABUNDANTIÆ effigies. Et carissima civitas, hoc tibi facillime persuasum reddere poteris, ex hisce bonis, quæ tibi hæctenus enarravimus, nil aliud, quam summam rerum abundantiam provenire posse. Cogita preces pro inæstimabili bono, in quo omnium Statuum summa felicitas versatur, illius piensissimi ac optimi regis, Davidis, quas in psalmis fudit: ut bonitas & fides sibi in via sint obviam, ut justitia & pax sese invicem exosculentur. Sane ex hoc felicitatum mari nil aliud profluere potest, quam benedictionis divinæ flumen. Credite, quas domos, urbes, regiones, colonias hæc Dea inhabitat & quasi pro suo habet; ibi haudquaquam fieri aliter posse, quam ut adsit opulentissima omnium rerum abundantia. Unde sequitur, ut ibidem contenti sint divites bonis suis, & pauperes etiam sufficienter sustententur, atque quarumvis felicitatum sit uberrimus proventus. Roma, liceat mihi hanc orbis reginam adhuc attingere, equidem erat tam tempore posteriorum Consulum, quam primorum Imperatorum, bonis abundantissima, in tantum, ut Caligula stupendissimam summam pecuniarum possederit ac profuderit & *et cetera* Salmasius de unico homine, at quam vili, r) dicat: „vel unus Pallas, libertus Claudii, plus possidebat in auro & argento atque ære signato, quam quicquid hodie veterum nummorum in tota Europa „& Asia reperitur. Verum enim vero, hæc Romulidarum opes superbia & luxu nefando consumebantur, & sumtu dilapidabantur immenso & vix credibili, quod is facillime inveniet, cui datum ac volupe est, scriptores antiquos perferutari. Unicum prandium vel coena constabat stupendas &, nisi fides autorum fide dignissimorum adesset, vix credendas impensas, quæ summam inveniuntur penes Lipsium in Opere, quod de Admirandis seu de magnitudine Urbis Rom. inscripsit. Perpendite unicum hocce, ex quo luxum & superbiam hujus gentis Romulæz satis perspicere poteritis. Cornificius, quoties domi non coenabat, Elephanto vehens domum redire solebat. Et hoc malorum Romani a Græcis luxuriantibus & sumtuosissimis, quos ut & Carthaginem ineffabili suo damno devicere, didicerant. Græci enim superbia & prodigalitate turgentes in tantum luxuriæ & superbiæ erant prolapsi, ut non solum domos auro & argento micantes inhabitarent, sed & in devictos hostes, pro nihilo eos habendo, eo processerant ludibrii, ut sub jugum missos Persas lanuis insculpi linerent, atque curarent. s) Hinc Romani in id seductæ mentis ac amentia ruebant, ut nil boni, nil sinceri, nilque pristini ac antiqui moris perferre potis fuerint. De iis Livius, aureus scriptor, in præfamine Operis sui incomparabilis ita ad lætorem ait, monens ut labante deinde paulatim disciplina velut descendentes primo mores sequatur animo: deinde ut magis magisque lapsi sint, tum ira caperim præcipites, donec ad hæc tempora, quibus nec vitia sua, nec remedia pati poteram, perventum sit, adverteat. Nuper, ulterius inquit, divitiæ avaritiam & abundantes voluptates desiderium per luxum atque libidinem pereundi perdendique omnia invexere. En hic desiderium pereundi desideratissimum! Adde, eosdem idem fatum cum Milesiis expertos esse. Hi enim luxu diffuentes, Epicuri malam doctrinam sectantes, eiecerant civitate Hermodorum, virum clarissimum, quia frugalitatis, continentia & modestia erat amator egregius. Dixerunt enim: nemo apud nos frugi est, nemo unus excellat, prout Cassianus memorat. Itaque non aliter fieri potuit, quam ut hæc Romuli gens omnem libertatem amitteret &

q) in Orationibus p. 259.

r) in Epist. 2. de Cruce p. 291.

s) Dieuillart Theatr. Archit. fol. 10. 66.

& successu temporis penitus pessum iret. Verum hoc de egregia & sana republica, in qua abundantia intra limites suos versatur, nec repagula percurit ac profrenit, haudquaquam sperandum est. Magistratus abundantiam intra fines suos continet & provisione sua sollicitissima providet, quo minus luxus, superbia & aliæ pestes rempublicam irrepant, eamque damnis irreparabilibus afficiant. Unde demum hoc sequitur, ut ejusmodi magistratus *ΙΕΡΑ ΣΥΝΚΛΗΤΟΞ*, prout Smyrnæi in suis nummis expressere, <sup>1)</sup> vocetur; ut urbes primatum nanciscantur, qualem adepta erat Nicomedia in nummo Mediceo. <sup>2)</sup> Plura quidem essent, quæ possent addi, sed angustia temporis & brevitate spatii excludor; hinc vela fuit contrahenda & finis Orationi est imponendus. Unum restat, quod adhuc attingere est animus. Quid est tandem, charissima civitas, optime Senatus ac dilectissimi cives, quod vobis ex ædificata hac nova curia optare debeam? Providentiam, pacem, justitiam, robor fortitudinis, atque abundantiam vobis apprecor, quo universa civitas, universus Senatus & unusquisque civium amœnissima mole benedictionum & felicitatum beetur, one- retur. In hoc anno fertilissimo, in quo, quæ Dei est clementia, amplif- simas segetes ac messes agri tulere, nostra nova curia exædificata fuit, & in exoptatissimo anni tempore, nimirum in fructifero autumno, initia- tur & inhabitatur: hinc & Deus T. O. M. vos universos amplissima messe bonorum ac clementiæ fructibus ornet ac oneret. Hæc domus sit asy- lum oppressorum, sit templum libertatis, pacis, abundantiae, & sit for- tissimum munimentum contralientiam effrenatam. Sit hæc domus tem- plum concordiæ, in qua omnes similitates collegarum cessant & exul- tent. Quondam tumulo inscribatur: τῶν Φιλῶντων. Faxit numen divi- num, ut & hoc ædificium sit sedes amoris mutui ac officiorum recipi- orum, æterna collegarum concordia connexorum. Nulla poma Eridos in ea progerminent. Numen cœleste haud quaquam concedas precor, ut arbor discordiarum radices agere ac vires capessere possit. Et finge, quon- dam extitisse quasdam disensiones in urbe, in curia, in domibus civium. Claudatur nunc antiqua curia, tanquam Iani templum quoddam æruginosum, & efflorescat ac vigeat imposterum pax aurea, quæ omnis felicitatis culmen est. Cum Sixtus V. obeliscum, qui quondam Augusto & Ti- berio, Romanorum Imperatoribus, sacer fuerat, in Vaticano Romæ erige- ret, infra insequentia verba egregia incidi curabat: Christus ab omni malo plebem suam defendat. <sup>3)</sup> Hæc etiam sunt meæ preces ac mea vota, ut Servator noster Dominus suos cives, hanc qui urbem incolunt, ab omni in- fortunio liberet, ut omnia mala contagiorum, incendiorum, & alias urbes ac populos devastantes calamitates, manu sua fortissima averruncet; ut potius carissimam hanc civitatem cum omnibus incolis largissime bonis omnibus cumulet. Deus & optimus maximus conservet nostrum REVE- RENDISSIMUM PRINCIPEM cum SERENISSIMA SVA CONIV- GE DILECTISSIMA; Divinum Numen det iis omne bonum & benedi- ctionem omnigenam. Deus Triunus sit ulterius MAXIMO REGI, FRI- DERICO AVGVSTO, fortissimum tutamen, quo porro terror hostium suorum & Pater Saxonicae patriæ exoptatissimus esse queat. Omnipotentis- simus Deus universam AVGVSTISSIMAM FAMILIAM REGIS IN- COMPAREBILIS & OMNEM SERENISSIMAM GENTEM SAXONI- CAM perpetuis beet felicitatibus. Summus cœlorum ac terrarum moder- ator etiam omnibus splendidissimis hujus urbis collegiis omne bonum ad- dat & sit eorum felicissimus remunerator. *Excellentissimos* etiam *Domi- nos Commissarios* ac *Deputatos*, qui hodie Senatum novum producunt, Di- vinum Numen ulterius auxilio suo & omni bono secundet, ut diutius in uti-

1) apud Spanh. in *Uf. & præst. numism.* p. 412.

2) cit. Spanh. p. 884-885.

3) Tratado nuevo de la cosas maravillosas de la alma ciudad de Roma compuesto por F. Pedro Felini p. 334.

litem patriæ ac reipublicæ officiis suis feliciter præesse & ulterius largif-  
fimo cœli favore frui possint. Deus secundet & novi ac antiqui Senatus  
personas, det his vires & sua auxilia, quo felicissime munia sua impræsenti-  
arum ac imposterum gerere iisque fungi queant, ut universa civitas hisce  
regiminibus succedaneis perpetuo beetur. Beati estote, cives, & percipite  
uberrimos cœli favores, ac fruges exoptatas. In summa, acclamamus vobis  
antiquum FELICITER! In principio Orationis inscriptionum men-  
tionem fecimus, ita nobis nemo vitio verter, si & in fine sermonis voti  
constantissimi loco insequentem Inscriptionem addamus:

**D** Omus hæc, sedes Senatus & receptaculum civium, Curia dicitur.  
Memento, lector, esse eam protensum tectum curarum. Id cura in-  
dies nova ad curiam novam est adaptatum, exadificatum. Pro curæ  
urbis prosperitate ac civium salute in ea resident ibidemque se congregant.  
Tu, qui has ædes intras, mordaces curas, que conscientiam rodunt  
queisque vita inamœna redditur, vita, devita. Id potius curiosa carâ cura,  
ur vitam quam tranquillissime, Dei, tui & proximi curam habendo,  
transigere queas. In hoc si non eris incuriosus, harum ædium alumnus &  
amicus, sin minus, hostis earundem & derupator bonæ rei eris & audies.  
Hinc abite & facescite Lex Didia ac Fannia de sumtibus, Cornelia de sicariis,  
de injuriis cum reliqua vestra cohorte ferali. Estote, manete inter ab-  
rogatas. Spes est, fore, ut hæc urbs, hæc curia vestro præsidio ac freno  
non indigeat; nam nova domus, cum tectum pacis & amicitiarum sit, no-  
vum cultum mentium prælagit, promittit, imo postulat. Quod si tamen,  
facinorosi, has ædes vestris pravis moliminibus turbare nitamini, memento-  
tote, eas in simul justitiæ, quæ delictorum vindex est, esse sacratas. Inde  
profani, si limina harum ædium attingitis, respicite, ac vero si ea propter  
callum, quem peccando induxistis, vestrum, intrare tergiverfamini,  
ceu ad templum Martis Ultoris induite pavorem, imo sine mora  
linquite vestras obduratas mentes. Nam quod Gentiles de hoc Deo  
suo fictitio prædicarunt, hoc meliori jure Gens Christiana de suo Numine  
verissimo effari potest, quod sit nimirum ultor vitiorum strenuissimus &  
exsuperantissimus remunerator bonæ mentis. Ulterius cogita, Lector, has  
ædes ex saxo constare. Noli hinc saxum cor erga cives tuos & alios in-  
duere. Magis vive in pace & justitia erga Deum, te & focium tuum. Hoc  
ce te in tantum reddet durabilem, ut non solum accessum & impetum tre-  
mendæ mortis, & quamlibet eam magnis passibus appropinquantem senti-  
as, videas, perferre ac sustinere queas animose; sed & ut tandem effata to-  
nantia terrarum judicis magnificentissimi, qui in ultimo suo judicio, quod  
decretorius ac censorius ille dies splendidissimus pandet, non ex centum  
virali judicio clamoso, sed ex cœlesti curia, ex sidereo tribunali suo, Scabi-  
nis & Allectoribus mille Angelis beatissimis & animabus pientissimis stipa-  
tus, ipse non ut unicæ urbis, sed ut universi orbis, tanquam sue urbis, pra-  
tor justissimus, potentissimus, est prolaturus, hilari fronte & forti animo ceu  
sententiam dictatoriam, non interlocutoriam, sed definitivam, non ex duo-  
decim tabularum legibus, sed ex duobus antiqui & novi foederis codicibus  
conceptam, tibi exoptatissimam & statim in rem judicatam transen-  
dentem, itaque nullo remedio frangendam aut ulla provocatione inverte-  
ndam, exaudire & eam missa cuncta comperendinatione & rejecto omni ter-  
mino decendii juridici ac quovis, priusquam executio fieri debeat, delibe-  
randi spatio, extemplo in executionem transferri videre possis. Tandem  
memento, omnia alia esse vana, caduca. Sola pietas & justitia est æter-  
na & immortalis, omnisque virtutis ac felicitatis, quæ in hominem ca-  
dere potest, exaciatissimum complementum.

Gb 1633.

4<sup>o</sup>


ULB Halle 3  
001 611 763



20

n. c.







ORATIO INAUGVRALIS  
 QVAM  
 CVM SINGVLARI FAVORE AC CLEMENTIA DEI  
**NOVA CVRIA**  
**MERSEBURGENSIS**

D. OCTOBR. MDCCXX. INITIARETVR

ET  
 IN EA  
 I V S S V

REVERENDISSIMI AC SERENISSIMI  
**PRINCIPIS NOSTRI**

AB  
 EXCELLENTISSIMIS DOMINIS  
**COMMISSARIIS**  
**NOVVS SENATVS**  
 AD REGIMINA SVA

PRIMUM PRODVCERETVR INQVE STATIONIBVS SVIS CONFIRMARETVR

H V I V S V R B I S  
 SENATVI VNIVERSO PROVIDENTISSIMO  
 AC  
 CVNCTIS CIVIBVS DILECTISSIMIS

OFFICIOSE ET DECENTER  
 EXHIBEBAT, OFFEREBAT, DEDICABAT

**ERNESTVS WILHELMVS HERZOG**  
 PRÆTOR MERSEBURGENSIS ET SAC. PAL. CÆS. COMES

*HALAE MAGDEB.*  
 Litteris STEPHANI ORBANI, Acad. Typogr.

